

fidiam timentes, et cum forent eis tributarii, in Romanorum venerunt succursum. Collecta igitur universa gente eorum versus inimicos pergere conati sunt; et cum ad Lambri flumen pervenissent, illum transire volentes, Mediolanenses cum omni forcia eorum et cum Francorum et gente Gallorum ex altera parte ipsius fluminis existentes ipsos transire prohibuerunt¹; et sic prelium incipitur; et dum ita preliarentur, videntes Romani transitum habere non posse, cavum quendam facientes, aquam ipsius fluminis per ipsum cavum decurrere fecerunt. Quo facto ipsum flumen nimia vi acriter cum inimicis pugnando transierunt. Gravissime et fortiter pugnatur ab utrisque; prelium ita magnum et iniquum a memoria hominum in Italia minime potest recordari; illos omnes homines, qui ad Romanorum manus deveniebant, statim gladio iugulabantur. Romani vero, qui in Mediolanensium virtute veniebant, gravissima et iniqua nece obprimebantur; preliati sunt namque fortissime per septem dies; tandem videntes Mediolanenses se in prelio deficere et tela hostium minime ferre posse, paulatim² cum inimicis die et nocte pugnantes. Cum autem ad civitatem appropinquassent, propter viarum strictarum et fossatorum et vinearum munitionem eos minime secuti fuerunt³. Ipsi autem *f. 51b. Mediolanenses civitatem intrantes, eam undique modis omnibus quibus potuerunt munierunt. Hoc peracto Romani ad civitatem appropinquantes ipsam undique obsederunt. Percipientes viri prudentes et sapientes eiusdem civitatis victualibus carere et inimicis resistere nec civitatem defendere posse, fedus cum ipsis facere temptaverunt, in hunc scilicet modum: Volentes enim civitatem et eiusdem urbis homines et eorum res in virtute et potestate Romanorum prestare, ita tamen quod ipsius hominibus et eorum rebus fiduciam preberent et civitatem illesam omnino conservarent, nec tributarii aliquo in tempore Romani efficerentur imperii. Audientes hec Gagius Bebius et Lucius Cornelius Romanorum duces predicta esse facturos dixerunt, iniungentes eis, ut auxilium militum et peditum per Italie provinciam ad Romanorum vindictam essent prestaturi. Mediolanenses a Romanis petierunt, ut ab unoquoque triennio Romanus imperator ad civitatem Mediolani accederet, sedem quoque imperii per septem menses ponentes, negotia imperii et totius Italie in eadem urbe gerentes; quod fedus utrique placuit parti, et sic inter eos est firmatum pariter et statutum. Quo ita ordinato et statuto Romani cum Mediolanensibus per Italie

1) Den Uebergang über den Lambro wollten die Mailänder im Jahre 1212 den Cremonesen wehren, als diese den jungen Friedrich einholten, wie Joh. Codagn., Ann. Plac. p. 426, erzählt. 2) Hier muss, obwohl in der Hs. keine Lücke ist, ein Satz fehlen, in welchem gesagt war, dass die Mailänder sich zurückzogen, etwa 'retro ad civitatem eorum iter eorum direxerunt'. 3) Scil. Romani.